

**François Connan (1508-1551)**, *Commentariorum Iuris Civilis Libri X, argumentis et summariis atque ordine in margine annotatis per D. Franciscum Hotomanum exornati* (1553), Lyon, Haeredes Iacobi Iunctae, 1566.

**I – L. II, II, § 3, p. 74-75/132 :**

Nam et si attendemus diligenter, reperiemus libertatem simul cum servitute, aut natam, aut certe cognitam : nec fuisse liberi nomen auditum prius quam ius gentium captivos a communi hominum conditione servitutis nota exemit, neque fuisse liberum quenquam, cum nondum ullus erat servus : ut jam inter Christianos nullus liber esse dicitur, quia ne servus quidem est quisquam. **Itaque jure naturali non tam liberi sumus, quam non sumus servi : nec libertas dicenda est juris naturalis esse, sed facultatis et licentiae naturalis**, ut bene Florentinus in *D. 1.5.4 pr. : Libertas est naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi quod vi aut jure prohibetur*. Facultatem appellat : quia facti potius est quam juris, si per se attendatur. Postquam enim servitutis jugum impositum est captivis : eo qui liberati fuerunt, appellati sunt liberi, ut a servis distinguerentur, coepitque juris esse libertas, quae prius erat facultatis et potestatis. Quod enim antea libere fungerentur corporis et animi muneribus, non id ullo suo proprio jure faciebant, sed quod eam facultatem nasci essent a natura pariter cum omnibus hominibus ; post autem inductam servitutum.

**II – L. V, 1, p. 378 :**

Proprie tamen synallagmata mutuum commerciorum est, **cum aliquid ultro citroque faciendum est**, sic ut pacta, donationes et delicta, quod in his non est ista vicissitudo obligationis, ne synallagmata quidem dicentur : at neque contractus, qui Graeco verbo respondet : cum alter ab altero scilicet ad se trahit quod sibi necessarium est et commodum, aut fortasse a contractatione rerum earum quas mercamus, sine qua nullus contractus hujusmodi perficitur et absolvitur. **Itaque licet quidam contractus obligationem inducant**, etsi traditio rei non intervenerit, ut emptio, locatio, societas, tamen non aliud spectat ipsa obligatio, quam ut praestatione ejus quod promissum est, impleatur contractus ; usque adeo, ut quae jure civili per se non pariunt obligationem conventiones, si contractatio rei aliqua ex parte intercedat, hinc nascatur obligatio.

**III – Ibid. :**

Est enim hoc jus proprium omnium actionum nostrarum, quibus inter nos ad aliquem usum necessitatemque communicamus : quae Aristoteles synallagmata appellat : quorum plura facit genera. Quidam enim contractus voluntarii sunt, ut venditio, emptio, mutuum, locatum, conductum, depositum, vadimonium. Alii sunt voluntarii, et horum quidam clandestini, ut furtum, homicidium, adulterium. Quidam vi fiunt, ut verbera, mors, rapinae, et similes. Ex quo perspicuum est, uno eum synallagmaton nomine conventiones omnes, et contractus, omnia etiam delicta comprehendisse.

**IV – L. II, 1, p. 74/131 :**

**Actio autem nihil aliud est quam ius perseguendi in iudicio quod sibi debetur**. Ex quo dicendum est, rerum appellatione contractus etiam omnes, et delicta, ex iisque descendentes obligationes comprehendi debere apud Cajum : quod quam rationem habeat, quamque apte his actiones tanquam alterum divisionis membrum ascribantur, non ostendam pluribus.

**Hugues Doneau (1527-1591)**, *Opera omnia. Commentariorum de iure civili vingiti octo* (Francfort, 1589-1590), t. 1, éd. Josephi Salviucci, Rome, 1828.

**I – Préface, p. ix :**

Nulli enim vivunt, qui non habeant aliquid suum in rebus etiam privatis : si non in privatis, at certe in publicis et communibus, ut aere, mari, aqua profluente, viis et locis publicis, quarum rerum usura omnes fruuntur. **Si res deessent, tamen nemo est, cujus non sit aliquid suum in persona ipsa. Sunt enim et in persona proprie quaedam a Deo cuique tributa**, quae multo citius sua homines dixerint, quam illa, quae sibi sumunt in rebus externis ; **ut sunt vita, corpus, libertas, et alia hujus generis**. Quod si etiam cujusque est, quod ei debetur.

**II – L. II, c. 8, § 3, p. 229 :**

In persona cujusque id nostrum est, quod tribuitur personae, id est quod cuique ita tribuitur, ut is id habeat in sese, etiamsi desint res caeterae externae. **Haec a natura cuique tributa sunt quatuor : vita, incolumitas corporis, libertas, existimatio**. (...) Vita quid sit, notum est. Incolumitas corporis est, ne vulneremur aut pulsemur. Libertatis est, facere quae velimus. Existimatio est illibatae dignitatis status legibus et moribus comprobatus. Vitam quidem natura hominis esse propriam, facile est intelligere, quippe quam omnibus mortalibus largitur Deus, etiam iis, qui caeterarum rerum omnino nihil possident.

Sed et, **ut homines sunt conditi a Deo**, vita ipsa sit inutilis, vel acerba, vel potius ne vita quidem sit, si cui haec contingat sine incolumitate, sine libertate, aut sit etiam eum dedecore coniuncta. (...) Quamobrem, **ut vita, sic tria illa reliqua a Deo sunt**, et iure gentium cuique tributa, incolumitas, libertas, existimatio.

**III – L II, 7, p. 225 :**

Illa divisio Caji usurpata in Dig. cum dicitur, jus omne, quo utimus, vel ad personas pertinere, vel ad res, vel ad actiones. Quod enim nostrum est, consistit in personae cujusque et rebus extra personam positis; obtinendi autem ejus ratio est in actionibus, id est in iudiciis, quibus nostrum consequimur. **Nam actionum verbo hoc genus persecutionum intelligi, non autem hominum actus**, ut Connanus interpretari tentat, notum est, ubi hoc membrum tertium ita exponitur.

De eo, quod nostrum est, sic dicemus : ut **in singulis pactibus juris nostri adjungamus etiam remedia cujusque partis propria, prodita jure ad unumquodque obtinendum** ; tantummodo ut in jure, et facultate ejus remedii exercendi constituamus : non etiam ad ejus juris executionem veniamus. (...) **Tum autem haec eadem remedia juris nostri cujusque pars sunt, ut plane hic praetermitti sine vitio non possint**. Nam et jus illud primum, quod cujusque esse dicimus, stabiliunt, ac retinent, ut sine his jus nostrum stare non possit. Et praeterea remedia ipsa sunt actiones, quae cuique proponuntur ad res juris nostri recuperandas ; aut, illis amissis, ad damnum, aut injuriam, quae illata est, persequendam. Actio autem, quantus actionis verbo jus, et facultatem ita agendi intelligimus, non minus est in his cujusqua, quam illa ipsa, quorum actiones sunt constituae. Unde et in genere rerum nostrarum numerantur.

**Francisco de Vitoria (1492-1546)**, *Comentarios a la Secunda Secundae del Santo Tomas* (*Commentariorum in Secunda Secundae S. Thomae*, 1535-1536), V. Beltran de Heredia (éd.), Salamanca, 1932

**I – Q. 62, a. 1, p. 81-82 :**

§ 27. Sed oportet quaerere quomodo ista appropriatio pervenit ad nos, quia modo alios dominos habent res quam tunc. Quomodo ergo isti qui modo sunt, facti sunt domini ? Pro quo sit duodecima propositio : Facta prima divisione et appropriatione, duobus praecise modis et duobus tantum titulis potuit quis acquirere dominium rerum ; nam etiam duobus potest transferri dominium ad nos ab uno in alium. Et hoc est quod exspectat ad restitutionem. Primo ergo modo potuit transferri dominium ad nos voluntate prioris domini. Alio modo auctoritate principis.

§ 28. Ex quo sequitur corollarium : quod christiani non possunt occupare terras infidelium, si illi infideles sint veri domini illarum, et non sint christianorum. Quia si vi acceperunt eas, secus est ; tunc enim christiani possunt illas repetere, sicut patet de Africa, quam sarraceni acceperunt a christianis. Et patet corollarium, quia divisione rerum facta, illae terrae exspectabant ad illos infideles ; et illi nolunt dare nobis nec princeps aliquis eorum : cum ergo illi sint veri domini, si ipsi nolunt illas nobis dare, sequitur quod non possumus illas retinere et capere. Sicut de istis indis certe nullus posset capere terras ab eis. Item, quia nullus princeps christianus est superior ad illos. Item, nec papa est superior ad illos in temporalibus nec in spiritualibus, si non sunt baptizati, quia papa solum est supra eos qui sunt christiani vel qui fuerunt christini, ut haeretici.

**II – § 18-20, p. 74-76 :**

Sed si ita est quod Deus fecit omnia communia omnibus, et homo est omnium dominus jure naturali, quomodo et unde facta est ista divisio ? (...) Scotus dicit illud praeceptum juris naturae (*de jure naturali aliquando omnia fuerunt communia*) fuit revocatum a Deo. (...) Sed arguit Conradus contra hoc, quia lex naturalis est immutabilis (...). Item, quia lex naturalis nunquam praecepit fieri talem divisionem. **Dico praecepit, quia lex potest esse praeceptiva, et alia potest esse consultativa, et alia permissiva.** Quia dare liberaliter est de lege naturali, sed non praeceptiva, et tamen est licitum respectu hujus, et ita est permissiva. Ergo ad faciendam divisionem rerum non opus erat revocare legem naturalem, quia lex naturalis nunquam praecepit illud, scilicet quod fieret divisio. **Ut libertas dicitur esse de jure naturali,** quia stando in solo jure naturali nulla est libertas quae admittat secum servitatem.

**III – § 13, p. 72 :**

Quia quando Deus dedit Sauli regnum Israel, illud erat de jure divino positivo. Dedit etiam terram promissionis Israelitis, et hoc etiam fuit de jure divino positivo, et sic dedit David regnum. Quo ergo jure hominibus convenit habere usum rerum ?

Dico quod jure naturali, quia est per se notum et a nullo unquam dubitatum, quia nulla fuit nec est gens tam barbara quae non credat esse licitum homini uti rebus ; ergo est dominus illarum. **Item, de jure naturali est quod homo conservet se in esse.** Sed hoc non potest sine aliis creaturis, quia omnes aliae creaturae sunt ad conservationem hominum.

**Domingo de Soto (1494-1560), *De Iustitia et Iure* (Salamanque, 1556), Lyon, Bartholomé Honoratum, 1582.**

**I – L. IV, q. 1, a. 1, fo. 99 :**

Et quia (ut *de Anima*, tex. 85 auctor est Aristoteles) ex recto ipsum obliquum cognoscimus, rectam pro captu nostro statuamus definitionem, per quam de altera iudicemus. Dominium ergo, si secundum artem describas est, propria cuiusque facultas et ius in rem quamlibet, quam in suum ipsius commodum usurpare potest quocumque usu lege permissio. Positum est ergo loco generis, facultas potius quam potestas (...). **Etenim facultas non à fas, sed à facile derivatur : ut sit quasi facilitas.** Sunt etenim contraria, facultas et difficultas. Ob idque potestas genus est plura comprehendens, quam facultas. Potest quippe tyrannus abuti civium bonis, non tamen habet facultatem, id est facilitatem, quia id sine licentia et facultate domini aut iusta intercedente caussa non potest. (...) **Nam et homo per propriam voluntatem, quae motrix est omnium potentiarum, utitur etiam suis propriis membris, in quae (ut paulo ante ex Arist. citatum est) habet anima dominum imperium.**

**II – L. IV, q. 2, a. 3, fo. 104 :**

Secus autem de vita : lege enim iustitiae prohibetur homo se occidere, sicut et alios : quia non est magis dominus suae, quam alienae vitae. (...) Si homini dominium concessum est propriae vitae, hoc esset, ut aliquando posset illam dispendere et à se alienare, sicut potest iustis de caussis alia bona, nam frustra est potentia et facultas quae nunquam exire potest in actu, homo aut nullam ob caussam quovis colore censeatur iusta, potest se vita preservare ; ergo signum est non esse dominum. Tertio arguitur à priori et legitima caussa : si aliquo iure homo esset vitae dominus, id esset naturale, aut divinum, aut humanum ; naturale aut non, quam primum naturalium appetitum : atque adeo temporalium summum est, quo unaquaeque res appetit se conservari in esse (...). Quare nulli rei natura tribuit seu qualitates seu instrumenta quae in suam essent interneccionem : sed illa quibus conservaretur. (...) Ergo ius naturae neutiquam permisit homini se interimere, atque adeo nec ei tribuit vitae dominium. Cum aut ius naturae effectus munusque Dei sit, sit ut nec iure divino concessa sit talis facultas. (...) Ecce conclusionis origo. **Cum vita sit fundamentum bonorum omnium temporalium, quam quidem vitam homo non per se acquirit, sed Dei beneficio parentumque opera recipit, non decuit illi concedi eius dominium, sed ut Deus eius auctor id retineret.**

**III – Ibid.**

**Triplex est nostrorum bonorum genus : Primum est vita, postremum temporalia bona, medium honor et fama.** Et quidem de extremis nulla est disceptatio, quin omnium est consessio, neminem esse vitae suae dominum, ut possit se ullam ob caussam citra iniuriam necare ; sed esse iniustitiae scelus. Et per contrarium extremum fatentur esse quemcumque bonorum exteriorum dominum, sane quae potest citra cuiuspiam iniuriam alienare ac dispendere. Opinio ergo nostrae contraria, collocat honorem et famam in ordine vitae, nos autem in ordine bonorum exteriorum. Et ratio nostra prima est superiori contraria. Homo vere ac legitime est suorum bonorum omnium dominus, ut citra cuiuspiam iniuriam, quae proprie sit contra iustitiam, possit illa dispendere ac negligere, illisque uti : honor et fama sunt propria hominis bona, ei iure naturali concessa, atque ab ipso acquisita et aucta ; neque ulla iustitiae lege, si est privata persona, prohibetur illa dispendere ; ergo nemini iniuriam facit, si illa rejiciat, atque adeo est vere eorum dominus. (...) Adde honor, ut l. 10 Ethic. ait Aristot. praemium virtutis est, virtus autem naturalis saltem proprium opus est nostrum. Honor et fama, ut ibidem ait Arist., pars sunt foelicitatis : foelicitas autem proprium nostrum bonum est. Sumus ergo eorum domini, ut si velimus illa prodigere, nemini faciamus iniuriam.

## John Locke (1632-1704)

### IV – *Traité du gouvernement civil* (1690), II, 6-7, Ed. Flammarion, 1992, p. 145 :

L'état de nature a la loi de la nature, qui doit le régler, et à laquelle chacun est obligé de se soumettre et d'obéir : la raison, qui est cette loi, enseigne à tous les hommes, s'ils veulent bien la consulter, qu'étant tous égaux et indépendants, **nul ne doit nuire à un autre, par rapport à sa vie, à sa santé, à sa liberté, à son bien : car, les hommes étant tous l'ouvrage d'un ouvrier tout-puissant et infiniment sage, les serviteurs d'un souverain maître, placés dans le monde par lui et pour ses intérêts, ils lui appartiennent en propre (...)**. Chacun donc est obligé de se conserver lui-même. Et lorsque sa propre conservation n'est point en danger, il doit, selon ses forces, conserver le reste des hommes, et à moins que ce ne soit pour faire justice de quelque coupable, il ne doit jamais ôter la vie à un autre, ou préjudicier à ce qui tend à la conservation de sa vie, par exemple, à sa liberté, à sa santé, à ses membres, à ses biens.

7. Mais, afin que personne n'entreprenne d'envahir les droits d'autrui, et de faire tort à son prochain [...], la nature a mis chacun en droit, dans cet état, de punir la violation de ses lois.

### XIV, 168, p. 269 :

Ni Dieu, ni la nature n'autorisent jamais l'homme à s'abandonner au point de négliger sa propre préservation ; comme nous ne sommes point en droit de nous ôter la vie, nous ne saurions avoir droit de donner à autrui le pouvoir de nous la prendre.

### V, 27, p. 163 :

Le travail de notre corps et l'ouvrage de nos mains, nous pouvons le dire, sont notre bien propre.

### *Lettre sur la tolérance*, Flammarion, 1992, p. 168 :

L'Etat, selon mes idées, est une société d'hommes instituée dans la seule vue de l'établissement, de la conservation et de l'avancement de leurs intérêts civils. **J'appelle intérêts civils, la vie, la liberté, la santé du corps ; la possession des biens extérieurs**, tels que sont l'argent, les terres, les maisons, les meubles, et autres choses de même nature.

### V – *Déclaration d'indépendance des Etats-Unis d'Amérique* (4 juillet 1776)

Nous tenons pour évidentes par elles-mêmes les vérités suivantes : tous les hommes sont créés égaux ; ils sont doués par le Créateur de certains droits inhérents et inaliénables ; parmi ces droits se trouvent la vie, la liberté et la recherche du bonheur. Les gouvernements sont établis parmi les hommes pour garantir ces droits, et leur juste pouvoir émane du consentement des gouvernés.